



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxxix. Ad luxatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

ungunt. Alii vino pedes eluunt, atque in lata pertica collocant, ne digiti pedis lædantur. Quidam acetum tepidum pedibus inspergunt.

Aduersus pediculos.

SI pediculos habet accipiter, sandaracham tritam in aquam frigidam addito, qua ipsum lauabis, & ad solem expones, & pediculos excuties. Alij oleum rosaceum, & cor bubulum, axungiam, oleum: alij teaphin tritam in aquam coniiciunt, & ita illum lauant. Sunt qui lupinis in aqua maceratis accipitrem lauant, spondylis combusto ipsum fumigant, & confestim pediculi decidunt. Quidam oleo laurino caput accipitris oblinunt. Aliqui sandaracham, butyrum ex carne dant accipitri.

Ad luxatum.

SI in venando accipiter luxatus sit, ita ipsum restitues. Ulmi radicis scrupulos quinque, in ahenum addito, vsque ad tertias decoquito, eius decocto affectum locum foueto, emplastrum facito, quod recipit mastichæ, thuris masculi, floris periplocadis, folii, singulorum vnciam, fæcis vini optimi treis ligulas, rutæ cochlearia
bina,

bina, in vnum contundito, emplastrum facito, super locum affectum imposito: quinto die mutabis: carnem calidam ipsi dato.

Ad fractum.

ACCIPITREM fractum curabis, vt ante diximus esse curandum luxatum, ac vbi ipsum locum affectum calidis fomentis recrearis, sumito lanam succidam, eamque rosaceo oleo conspersam super locum affectum imposito; linteoque obligabis; in locum obscurum accipitrem abdes; quotidie calidum cibum dabis. Sunt qui inferuefactam axungiam ad fractum locum alligent, alij hircinum stercus, alij saponem imponunt.

Ad fractum crus.

SAPONEM, bulbos, cochleas, in vnum contrita, linteo illita super fractum crus imposito, & sanum facies. Alij pedes fouent, & suilla axungia inungunt, in loco obscuro collocant. Nonnulli argalicum cum absinthio veteri contusum affectæ parti imponunt. Alij ceram albam, marmor, cochleas, album liquorem oui, vnâ commiscent, & contundunt, in locumque

T